



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.57. Quæstio an Bulgari transfugæ remittendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

**Sæculum IX.** Jerosolymæ Georgio Patriarchæ Melchitæ, qui Sedem annis triginta sex obtinuerat, successit Thomas seu Tamricus, anno Alamini tertio, JESU CHRISTI octingentesimo undecimo. Sedit annis decem, cumque fornicem Ecclesiæ Resurrectionis, ruinam minantem reparasset, ideo a Musulmannis accusatus, & carceri inclusus est, non enim licebat Christianis Ecclesias suas ampliores reddere. Postquam autem in hanc rem inquisitum & nulla major amplitudo Ecclesiæ apparuit, liber dimittitur. Hæc fors erat Ecclesiarum in Oriente Musulmannis regnantibus.

## §. LVII.

*Quæstio, an Bulgari transfugæ remittendi.*

*Th. p. 424.*

*Id. p. 422.*

**M**ichael Imperator magnæ pietatis & mitissimi ingenii, at rebus gerendis parum idoneus præcipuorum de purpuratis arbitrio, præsertim Theoctisti Officiorum Magistri ducebatur. Anno Regni sui secundo Rex Bulgarorum pacis pangendæ conditiones misit, quarum una erat, ut vicissim transfugæ remitterentur. Fuere, qui Imperatori scrupulum moverent; non licere Bulgaris Infidelibus populares suos reddere, qui Christianam Fidem amplexi fuissent. Itaque

que rejecta pace Bulgarorum Rex urbem Mesembriam, quod ante minatus fuerat, obsidione cingere cœpit. Tunc vero Imperator turbatus suos ad consilium convocat prima Novembris anno octingentesimo duodecimo, atque etiam Nicephorum Patriarcham & Metropolitanas Nicenum & Cyzicenum adesse jubet. Hi tres Antistites suadebant, arripendam esse pacem, quam etiam Imperator cupiebat. At Theodorus Studita & plures alii obsistebant illum Evangelii locum afferentes: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Aliis vero videbatur, præferendam esse libertatem permultorum Christianorum, quos Bulgari detinerent, utilitati paucorum Bulgarorum, qui apud Christianos essent; dicere S. Paulum, qui Domesticorum curam non haberet, esse Infideli deteriorem. Præterea non nullos Bulgaros, qui in Regia erant, fuisse remissos, etiamsi transfugæ non essent, & inita pace servari potuissent. Nihilominus vicerunt, qui contrarium sentiebant, pacis conditiones rejectæ, & elapso quadriduo allatum est nuncium, Bulgaros Mesembriam in suam potestatem redegissee.

§. LVIII.

*S. Platonis obitus.*

Interea S. Plato annos numerans septuaginta  
*Hist. Eccles. Tom. X. B b b ginta*

Sæculum IX.

A.C. 812.

Joan. 6. 37.